

rerum cursu prope manu victoriam tenentes, non aversuros. Potior hæc sententia visa est: itaque Lautrechius, motis castris, Alexandriam contendit, ibi initia belli facturus, quod a Bosco, agri Alexandrini oppido, coeptum est. Nam Ludovicus Lodronii Comes cum in eo oppido Germanorum manu septus, pecuniam ad stipendia militibus solvenda, qui Alexandriæ præsidio erant, colligeret, Lautrechius, equite, atque Helvetiis peditibus properare ad oppidum jussis, Germanis ad suos Alexandriæ redeundi facultatem abstulit: mox toto exercitu insequutus admoveri machinas, mœnia quatì præcepit. Oppidani, atque Germani milites, qui mille circiter in oppido erant, aliquot dies tormentorum vim, Gallorumque impetum sustinuere; tandem expugnatum oppidum, ac direptum, igne absumptæ domus, cives fuga salutem quæsivere; reliqui pecunia libertatem redemere: Germani, qui cædi superfuerant, Gallicis stipendiis pugnaturi, Lautrechio adhaesere.

1527

Lautre-
chius in
Alexandri-
no Boscum
expugnat.

Auspicato feliciter in Insubribus bello, Andreas Auria, regiae classis Præfectus, e Massiliensi portu cum decem & septem triremibus solvens, Ligusticamque oram legens, Savonam appulerat, quo in loco Veneta illi classis jungenda erat: nam Senatus Petro Lando imperatori mandaverat, ut quindecim ex universa classe triremibus selectis, in quibus nothæ ostō essent, unum ex legatis Corcyra dimitteret, qui in Tyrrheno mari Andream Auriā, Gallicæ classis Præfectum, conveniret, eique præsto esset, & in quamcumque Rex expeditionem decrevisset, omni studio niteretur. Magnum porro momentum ad foederatorum res firmandas, si Genuæ accessio fieret, videbatur. Itaque rei bene gerendæ, priusquam Veneta classis adventaret, oblata est: cum enim sex Genuensium onerariæ naves, quæ frumenti vim haud exiguum in urbem convehebant, in Delphini portum pervenissent, civesque ut tutas in urbem perducerent, octo triremes præmisserent, quæ in eundem portum se contulerant, Auria intercipere conatus, ex scensione militum facta, actis vineis, portu potiri, hosti subsidia intercludere, atque in sui potestatem naves, triremesque angustiis septas redigere nitebatur. Eodem tempore Cæsar Fulgofius, qui Adurnorum adversa factione Genua pulsus Venetorum stipendiis militabat, terrestri itinere, Lautrechii Impe-

Andreas
Auria cum
Gallica
classe ad
Savonam.

Cæsar Ful-
goſius ad
Genuam in-
vadendam
a Lautre-
chio, & Pe-
ſareo mi-
ſus.

ra-